DISPUTATIO MEDICA

INAUGURAILS

QUÆDAM DE

FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS

COMPLECTENS.

6

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
QUÆDAM DE
FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS
COMPLECTENS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

THOMAS STEWART,

SCOTO-BRITANNUS,

CHIRURGUS.

" Aer quoque ipse, qui purus sacram vitæ flammam alit, impurus " factus, eandem vel statim extinguere potest, vel multis vapori- " bus onustus, aut nocivis quibusdam effluviis corruptus, ingen- " tem morborum cohortem inducere."

GREGORII *Conspect.* cap. 1.

IV. NONAS AUGUSTAS, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXIX.

AMICORUM OPTIMO,

PHILIPPO WHITESIDE, ARMIGERO,

CHIRURGO

APUD *AYR*,

MATERTERÆ MARITO ;

OMNIBUS VIRTUTIBUS

QUÆ HOMINEM ET CIVEM ORNANT

PRÆDITO,

QUO DUCE,

PRINCIPIA REI MEDICÆ

ADDIDISCIT,

ET CUI

PLURIMA BENEFICIA

IN EUM

A PRIMIS ANNIS A SE SUISQUE COLLATA

DEBET ;

HOC OPUSCULUM,

QUALECUNQUE SIT,

ANIMI DEVINCTISSIMI TESTIMONIUM,

SUMMA CUM OBSERVANTIA

SACRUM VULT

THOMAS STEWART.

AMICO ET AFFINI

DAVIDI MACLAGAN, M. D.

IN EXERCITU BRITANNICO MEDICO,

COLLEG. REG. CHIRURG. EDIN. SOCIO,

NUNC

ARTEM APOLLINAREM URBE EDINBURGI

EXERCENTI,

PROPTER

BENEFICIA ET CONSILIA UTILISSIMA,

NEC PAUCA NEC PARVA,

IN SE

MEDICINÆ STUDIUM INCUMBENTEM,

BENIGNITER COLLATA;

HANC DISPUTATIONEM,

PARVUM ANIMI GRATISSIMI PIGNUS

D. D. D.que

AUCTOR.

INSUPER,

GULIELMO WHITESIDE, M. D.

MEDICINAM ET CHIRURGIAM FACIENTI,

APUD AYR,

AFFECTIONEM,

ET STABILEM AMICITIAM,

INTER SE

ANNIS PUERILIBUS

INCEPTAM,

NEC TEMPORE NEC ABSENTIA

DIMINUTAM,

HANC DEMONSTRANDI OCCASIONEM

CORRIPIT

CONSOBRINUS DEVINCTISSIMUS,

ET

AMICUS GRATUS,

THOMAS STEWART.

" Green rise the Kentish hills in chearful air;
" But on the marshy plains that Essex spreads
" Build not, nor rest too long thy wandering feet.
" Quartana there presides;——————————
" With feverish blasts subdues the sick'ning land:
" Cold tremors come, and mighty love of rest,
" Convulsive yawnings, lassitude and pains,
" That sting the burden'd brows, fatigue the loins,
" And rack the joints, and every torpid limb;
" Then parching heat succeeds, till copious sweats
" O'erflow; a short relief from former ills.
" Beneath repeated shocks the wretches pine;
" The vigour sinks, the habit melts away;
" The chearful, pure and animated bloom
" Dies from the face, with squalid atrophy
" Devour'd, in sallow melancholy clad."

ARMSTRONG.

DISPUTATIO MEDICA

QUÆDAM DE

FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS

COMPLECTENS.

Auctore THOMA STEWART.

Scribimus indocti doctique. HOR.

QUÆDAM de Febribus Intermittentibus, pro argumento disputationis sequentis selegi, non aliquid novum proponendi, vel quæ diu observata sunt magis lucide explicandi, vana spe adductus; et multo minus cacoëthe scribendi impulsus; sed ut legibus Almæ hujus Academiæ cum observantia et attentione obsequerer.

DEFINITIO.

" Febres miasmate paludum ortæ, paro-
" xysmis pluribus, apyrexia, saltem remissione
" evidente interposita, cum exacerbatione nota-
" bili, et plerumque cum horrore redeuntibus,
" constantes paroxysmo quovis die unico tan-
" tum."

Hæc definitio Culleni celeber. non solum Intermittentes proprie sic dictas, sed quoque febres Remittentes complectitur. Tres species istarum febrium, quibus nomina Tertiana, Quartana et Quotidiana imposita sunt, memorat.

Per Tertianam, secundum Cullenum, febrem Intermittentem intelligimus, in quibus " paroxysmi similes intervallo 48to circiter horarum, accessionibus meridianis." Quartanam definit esse Intermittentem " in qua paroxysmi similes intervallo 72rum circiter horarum, paroxysmis matutinis;" et Quotidianam, " paroxysmi similes intervallo viginti quatuor circiter horarum, paroxysmis matutinis."

DE SIGNIS.

In paroxysmo Intermittentis regularis, tria stadia, frigoris nempe, caloris, et sudoris, sunt fere semper notanda, singula quorum breviter, et ut possum, describam.

De Stadio Frigoris.

......................" He had a fever,
" And when the fit was on him, I did mark
" How he did shake." SHAKESPEARE.

Hoc stadio adveniente, sensum languoris, lassitudinis et somnolentiæ æger experitur, quibus cito accedunt oscitatio, torpor, pandiculatio et fastidium alicujus generis motus. Tum sensus sequitur frigoris, præsertim in parte cervicis posteriore et in humeris, talis qualis percipitur ex aqua frigida in dorsum effusa ; alias, extremitates sunt frigidæ, temperie raro superante gradum 72^{dum} FAHRENHEITII, et algor per to-

tam superficiem corporis cito percipitur, quod aspectum cutis anserinum, medicis tam bene cognitum, præbet. Faciei forma et figura nunc collabuntur, vultus pallidus est, cum livore insigni labiorum, nasi, et unguinum. Hæc symptomata magis magisque ingravescunt; et his accedunt tremor membrorum et frequens et vehemens, quo totum corpus valde agitatur. Per hoc stadium gravitas et dolor circa præcordia, cum anorexia, nausea et vomitu adsunt. Respiratio est difficilis et laboriosa; et in plurimis exemplis æger crebrum suspirium facere observatur. Pulsus est parvus, debilis, frequens, et abnormis. Secretiones naturales imminuuntur, et, ex saliva et muco oris deficientibus, sensus sitis percipitur. Urina est limpida et decolor, nec sedimentum deponit; cutis est arida, alvus astricta: et plus minusve delirii hæc symptomata sæpe comitatur.

De Stadio Caloris.

" Before with shuddering limbs cold Tremor reels,
" And Fever's burning nostril dogs his heels."

DARWIN.

SYMPTOMATA stadii prioris, post aliquod tempus elapsum paulatim cedunt, et calor præter naturam per corpus diffusus cito sequitur. Cutis nunc est ruber et tumidus, et æger sensu ardoris pungentis et molestiæ generalis vexatur. Thermometrum Fahrenheitianum per hoc stadium ad gradum 104^{tum} ascendit. Pulsus nunc est regularis, durus et plenus. Respiratio, quamvis suspiriis interrupta, liberior et plenior, sed adhuc frequens est; et anxietas et oppressio circa præcordia, vomitu per stadium frigidum multum levantur. Sitis adhuc urget, lingua sicca et fœda est, et urina ex aspectu pellucido et decolore, rubrum vel fuscum nunc induit. Dolor capitis est vehemens, arteriæ temporales micant; et tinnitus aurium adest, cui coma et delirium sæpe accedunt. Sensus omnigeni per totum corpus nunc acutiores sunt, et æger simul

multa fatigatione et inquietudine laborat. Mens vaga et attentio difficilis sunt. Lux et strepitus omnia symptomata augent.

Hæc signa gradatim, et aliquando fluxu sanguinis ex naribus copioso, vel quodam alio organo corporis, ut utero, vasis hæmorrhoidalibus, pulmonibus vel auribus, subinde levantur, et stadium sudoris deinceps incipit.

De Stadio Sudoris.

> " Copiosus quoque sudor multos morbos, præsertim
> " febres, resolvit."
>
> Gregorii Consp. Med.

Humor lenis, circa faciem et collum primo erumpit, quæ cito fit generalis, et per totum corpus diffunditur. Pulsus nunc fit mollior, plenior et minus frequens; respiratio libera. Lingua et os, quæ antea fuerunt arida, nunc humida fiunt, et sitis sedatur. Urina sedimentum lateritium copiosum demittit. Functiones naturales nunc restituuntur; calor corporis solitus nunc redit, et omnibus signis febrilibus

levatis, æger in amplexus somni decidit, ex quo, nullo cum sensu molesto nisi debilitatis, expergiscitur.

De Signis Anomalis.

> "Interdum vero accessiones quoque confunduntur,
> "sic ut notari neque tempora earum, neque
> "spatia possint." CELSUS.

SYMPTOMATA jam dicta, utpote paroxysmum Intermittentis regularis constituentia, in ordine supra posito non semper adesse reperiuntur; nec adeo sunt numerosa nec bene notata. Contra, nonnulla aliquando desunt, et pro his multa symptomata irregularia in conspectum veniunt. Rigores, qui initio paroxysmi adsunt, vel stadium frigidum plerumque comitantur, aliquando ex toto desunt, vel adeo sunt lenes, ut vix observari possint.

Observationes de stadii frigidi signis abnormibus factæ, iis calidi pariter conveniunt. Paroxysmus interdum post stadium frigidum sudore copioso solvitur, alias stadium sudoris om-

nino desit, et quædam evacuatio critica sanguinis, bilis, aut urinæ, stadio calido et paroxysmo morbi finem imponit. Aliquando stadio frigido paroxysmus peragitur, et nonnunquam ordo stadiorum omnino invertitur. Febres Intermittentes formam Continuarum ad initium interdum induunt; et aliquando signis Continuarum adortæ, typum suum naturalem progressu demonstrant. Quinetiam Intermittentes decursu morbi speciem sæpe mutant; exempli gratia, febris quotidiana in tertianam, tunc in quartanam transeat; et postea typum quotidianæ denuo sumit, et vice versa.

Intermittentes sæpe in Febres Remittentes transeunt, in quibus intervalla inter paroxysmos adeo sunt brevia, ut vix percipi possint; et in quibus nihil apyrexiæ bene notatæ adest. Hoc, inter ægros ad Valachriam observatum fuit *.

Plurimi sunt morbi qui vel intermittentes comitantur, vel ita invalescunt ut solita Inter-

---

* Scientific and Popular View of the Fever of Walcheren and its consequences, by I. B. DAVIS, M. D. p. 1.

mittentis indicia vix conspiciantur. Horum, Cholera, Enteritis, Dysenteria, Diarrhœa, Pleuritis, Podagra, Hydrothorax, Icterus et Hydrops, pro exemplis sunt. Impetus sanguinis vehemens caput versus, cui accedunt Apoplexia, Coma et Delirium, Epilepsia et Aumarosis, a medicis quoque perceptus fuit. Dysenteria in illis regionibus, ubi Intermittentes sæviunt, has febres plerumque comitatur, cum his sæpissime alternans ; et sub forma morbi epidemici haud raro simul occurrunt*.

In regionibus calidioribus Inflammationes et Viscerum obstructiones, Diarrhœa, Dysenteria, Icterus vel Hydrops, et in magis temperatis Rheumatismus, intermittentibus diuturnis plerumque adsunt. In utroque exemplo hi morbi tam arcte cum intermittente connectuntur, ut origo amborum iisdem causis tribui possit.

In quibusdam exemplis intermittentium irregularium corpus tantum partim afficitur ; pro exemplo, haud raro fit ut dolor capitis periodi-

* Cleghorn's Diseases of Minorca, p. 255.

cus typum ipsum Intermittentis induit, omnia stadia ejus persolvens, et iisdem remediis cedens; vel, his omissis, iterum redit cum paroxysmis distinctis.

"Perhaps few diseases," inquit Doctor Duncan, "with respect to their appearance, are "subject to greater varieties than intermittent "fevers. Of this sufficient proof may be had "from consulting the elaborate work of Mr "Sauvages. You will there observe under "how many different forms all the types of In-"termittents have been concealed *."

DE CAUSIS.

Causæ Intermittentium, æque ac fere omnium aliorum morborum, in duo genera, Prædis-

* Vide Dr Duncan's Medical Cases, selected from the Records of the Public Dispensary, with Remarks and Observations, 3d edit. anno 1784, in quibus historia Intermittentis Anomalæ est, quæ formam affectus Rheumatici induit, et remedia huic admota fuerunt.

ponentes, nempe, et Excitantes, dividuntur. De utrisque pauca dicere pergam.

De Causis Prœdisponentibus.

> "Causa prædisponens est illa quæ corpus tantum "morbo opportunum reddit."
>
> GREGORII Consp. Med.

HÆ causæ sunt plurimæ, sed de paucis tantum insignioribus eorundem loqui vellem.

Diœta prava.—Omnia genera ciborum minus nutrientium, vel mutatio subita victus, ut ex diæta lautissima ad tenuissimam, vel ex hac ad illam corpus causæ excitanti proclivius reddunt. Ordines superiores ad Valachriam, observat GILBERTUS BLANE, Eques, febribus endemicis, quam inferiores semper minus laborarunt, et præfecti Britannici quam milites gregarii in situ isto minus affecti fuerunt; quod domicilio et cibo magis idoneis tributum fuit.

Intemperantia.—Hoc nomen, excessum omnigenum, vel Veneris, vel Bacchi, aut alicujus hujusmodi, complectitur. Ebrietas ut causa febris in exemplo militum et nautarum patet.

Hos intermittentibus corripi, littori appulsos, et dormientes post liquores spirituosos immodice haustos, et ad rores nocturnos subjectos, observatum est. Contra, probatur quod

Abstinentiam nimiam—iidem effectus in plurimis exemplis sequantur, et etiam cum corpus quodam stimulo, cui assuefactum fuerat, privatum sit. Ad hoc probandum GREGORIUS*, noster celeberrimus, lepidam auditoribus historiam narravit, quod, patri ejus, cum quibusdam sodalibus, studiis Lugduni Batavorum incumbente, unus horum vinum bibere apud mensam noluit, et aquam solam potavit, qui unicus intermittente tunc epidemica correptus est.

Fatigatio, utcunque inducta, an ex vigilia diuturna, vel ex aliqua ulla causa, ortui intermittentium multum favet. Milites, bene est notum, contagioni quamdiu vires eorum sunt imminutæ, resistere queant; sed siquando fatigati sunt, viribus ejus cedunt.

Frigus humori conjunctum intermittentes in-

---

* Audi Prælect. GREGORII, anno 1818.

ducere plus valet. Hoc, ab omnibus medicis militaribus, quibus occasio fuit has duas causas operantes observandi, in regionibus ubi bellatum fuit, comprobatur *. "The causes next "in power to re-produce agues," inquit JACOBUS M'GREGOR, Eques, "were exposure to a "shower of rain or wetting the feet, exposure "to the direct solar rays, or to cold, with in-"temperance and irregularity, and great fa-"tigue. Many other causes would excite the "disease in the predisposed, but these never "failed to do it."

Exinanitiones vel salutiferæ vel morbosæ suppressæ, quibus corpus diu assuetum fuit, altera causa est quæ proclivitatem ad hunc morbum præbere videtur. Hujusmodi sunt catamenia, perspiratio naturalis, sudor, &c. suppressa.

Tempestates anni, conditio cœli, et ætas hominis, corpus ad hoc febrium genus magis aut

---

* PRINGLE on Army Diseases, Part 3. chap. 4.

Diseases of the Army in 3d vol. of Medico-Chirurg. Trans. of the London Society, by Sir JAMES M'GREGOR, M. D.

minus proclivius efficere, magnopere pollent. Ver et autumnus tempestates sunt, quæ ortui intermittentium magis favent; et notatu dignum est, quod causa excitans harum febrium aliquamdiu in corpore lateat antequam signa sibi propria manifestentur*. Sic morbus, si æstate invaserit, usque ad ver sine effectibus ejus prodeuntibus, lateat.

Pringlio † observatum fuit, quod, in Belgio, Intermittentes, mense Julio inceperunt, per au-

---

* "This was strikingly exemplified," (ait Gilbertus Blane, Eques,) "in the troops who had served in the campaign in North Holland, in September and Octo ber 1799. Among these was an officer, who came to town, to put himself under my care, in the month of August, in the following year. He belonged to an encampment at Swinly, near Windsor, a district not liable to such complaints, and he informed me, that not only himself, but others who had not been affected in Holland, had been seized with intermittents, and that this disorder was confined to those who had been in the above mentioned campaign."

Observations on Walcheren Fever, p. 26.

† Loco citato, p. 13.

tumnum fuerunt frequentiores, per Septembrem perstiterunt, in Octobre fuerunt minus frequentes, et tempore gelido, Novembre incipiente, cessarunt, et nunquam postea visæ fuerunt sine corpore ad frigus subjecto. Annon gravitas major febrium autumnalium ad ardores per diem, et frigus vehementius et humiditates per noctem, referri potest?

Sunt homines qui e constitutione corporis iis propria, febres intermittentes facillime contrahunt, dum alii his obfirmate resistunt. Consuetudo, corpus impetui harum febrium minus proclive, reddere, magna vi pollet. Observatum fuit incolas regionum torridarum, humidiores visentes, intermittentibus fere correptos esse. Contra, illos, qui ab ineunte ætate in his regionibus insalubribus degerunt, raro, vel saltem tam leviter, affectos esse, ut morbus non adesse habetur. LANCISIUS *, his verbis utitur: "Qui prope paludes nascuntur et educuntur, etiam in eo insalubri aëre bona utcunque valetudine fruuntur." Hæc, observatis ab

---

* De noxiis paludum effluviis.

Equite JACOBO M'GREGOR * et aliis conveniunt: "So common is ague," ille dicit, "in many "parts of Spain and Portugal, that the inhabi-"tants do not term it a disease. Infants at the "breast are frequently seen with it"—"It is "also well ascertained," ait BLANE †, "that "strangers, if they survive the first attacks, be-"come much less liable to the endemic inter-"mittents."

Ex pubertate ad ætatem virilem spatium vitæ videtur esse, quo febres Intermittentes magis frequenter accidunt; nihilominus infantes, interdum (ut antea dictum,) et senes, his febribus correpti sunt.

Mirum est observare effectus quorundam ventorum corpus obnoxium ad impetus futuros hujus morbi reddendi. Eurus accedens curationem non tantum impedire, sed morbum renovare potuit. Homines impetui febris intermittentis per plurimos annos Euro adveniente obnoxii fuerunt, Romæ Africus exhalationes pa-

---

* Diseases of the Army, p. 415.

† Walcheren Fever, p. 8.

ludum quæ ibi fuerunt numerosæ, secum ferendo lethalis fuit. Plurima exempla hujusmodi, auctores prodiderunt.

Corpus semel ab intermittente affectum, morbo per reliquam vitam, quamvis causa primaria sit procul, et etiam sub cœlo magis salutifero, proclive est affici. Eurus, fatigatio, vel aliquæ ex causis jam traditis, ad impetus renovandos satis pollebunt *.

Metus, aliaque pathemata mentis deprimentia, inter causas prædisponentes jure recenseri possunt. Multa ad hoc confirmandum exempla, auctores † fide digni protulerunt.

* "I was informed in April 1811, by a Field-officer, "who came home from Portugal on account of bad "health, that those men of his own regiment, as well as "of others, who had served before in Walcheren, were, "upon the first exposure and fatigue, rendered unfit "for duty, chiefly by remittent fevers, so as to leave "not more than a third part of them fit for service."

BLANE *on Walcheren Fever*, p. 26.

† Commentar. VAN SWIETEN, in Aphorism. 755.—TRNK. de Feb. Intermit. p. 104. &c.

De Causa Excitante.

"Constat et in fontes vitium venisse lacusque."
OVID. *Metam.*

SINE opiniones veterum de causa proxima hujus morbi, quæ cum auctoribus eorum perierunt, proferendo, pauca de miasmatis paludum, quæ ex tempore LANCISII eo usque causa proxima esse Intermittentium omnes convenerunt, offerre pergam. Sed de his haud multa proferre possum; quoniam et eorum indoles, et modus quo systema afficiunt, adhuc in dubio latent.

Hæc miasmata causas esse excitantes harum febrium nunc plane constat; imprimis observando, has nunquam oriri nisi in palustris regionibus, vel quando corpus quovis tempore antea noxiis effluviis ex paludibus surgentibus subjectum fuerit.

LANCISIUS narrat, urbem de Studgard intermittentibus gravibus quotannis subjectam fuisse, dum palus mœnibus ejus proxima fuit, sed

hac purgata et exsiccata et in pratum amœnum conversa, hæc epidemica ex toto evanuit *.

Milites in Bencoolen, in India Orientali, aëre impuro ex miasmate paludum orto, graviter affecti fuerunt; sed hi ad Castellum Fort-Marlborough dictum, loco sicco et alte sito profecti, ab impetu hujus febris immunes permanserunt.

Lindius memorat † oppidum de Portsmouth, anno 1765, intermittentibus vernis proclive fuisse. In Augusto, thermometro ad gradum 82um meridie adstante, febris remittens sæviit, dum ad Gosport tantum tria millia passuum procul, incolæ morbo omnigeno prorsus immunes fuerunt ‡.

Hæc exempla, quibus plurima alia, si opus sit, addi possint, de viribus miasmatum paludum hanc febrem gignendi, nihil dubii relinquunt §.

---

* Lancisius, De noxiis paludum effluviis, p. 11.

† Lind's Diseases of Hot Climates, p. 80. etiam 207—210.

‡ Idem, p. 19.

§ Vide apud veteros, Hippocrat. de Natur. Hom.

Quamvis scientia nostra de natura horum effluviorum palustrium parva sit, quædam, res operationi eorum faventes attentionem postulant.

Ex observationibus LANCISII et aliorum patet, miasmata, nisi cum flante vento, non procul ab ipsis paludibus aërem noxiam reddere. Hinc, virus eorum, etiamsi haud procul vectum, multo imminutum esse, constat. Per illos vicos Romæ solos paludibus vicinos, Intermittentes grassatæ sunt. Cæteræ partes urbis præ his salutiferæ fuerunt. In iisdem domis prope paludes sitis, ut observaverunt CULLENUS et alii, dum ii qui partem humiliorem occupabant morbo correpti fuerunt, qui in parte superiore degebant morbi vel immunes fuerint vel tuti et sani diutius remanserint.

Calore cum his miasmatis ad febres inducendas opus esse, inferre licet, quia his sævientibus frigus hyemale cohibet, et etiam quia in regio-

---

Lib. § 18. et lib. 3. de Epidem.; GALEN, Lib. 1. de Different. Feb.; et apud scriptores recentiores, LANCIS.; JACOB. PRINGLE; Doctor. LIND, passim.

nibus septentrionalibus raro grassantur. Humiditatem sine calore has inducere nequire inferendum est, quoniam febribus, in plurimis exemplis, inundationes, et alii modi quibus humiditas copiose generatur, finem imponunt.

Miasmata paludum in locis ubi arbores confertæ sunt generari et intermittentes mali indolis gignere videntur; hinc istæ febres in insulis Indiæ Occidentalis, in America Australi, et aliis regionibus sylvestribus, adeo grassantur. In talibus locis febres, ex defectu ventilationis oriri, et periculum in his sitibus majus per, vel post tempestatem pluviosam, apparent. Sequelæ periculosæ talis humiditatis, et aëris stagnantis, ex mortibus inter nautas nostras in his regionibus, qui munera necessaria lignum et aquam ad naves vehendi, expleant, satis patent. Hinc Blane *, Lind, aliique, minime oportere homines sanos talibus officiis occupare, affirmant. "And, as a further proof," (ait Pringle,)

* Blane, On Diseases of Seamen; Lind, On Hot Climates, p. 143.

" how prejudicial it is to confine the air by " plantations, in a moist country, it was ob" servable that the Dutch camp at Gilsen, bor" dering on our cantonments, but lying upon " an open heath, preserved a good share of " health, while we were at the worst*."

De historia chemica horum miasmatum, et modo quo systema afficiunt, sententiam fixam statuere minime adhuc possumus. Quidam revera sunt, et inter alios Illustris. FRANKLIN †, qui, ex analogia fortasse, his inesse eandem naturam et dotes ac gasium, sulphureti vel carbureti hydrogenii, existimarunt. Sed hæc opinio pro conjectura tantum habetur. Hodiernos pariter ac veteres medicos natura eorum vera adhuc latere, videtur. Contentos igitur potius esse nos oportet, scire rem a Patre nostro HIPPOCRATE nobis traditam, " palustres aquas per-

---

* PRINGLE, loco citat. p. 63.

† Dr B. FRANKLIN, Philosophical Works, vol. ii. p. 132.

"niciosas esse," quam nosmetipsos conjecturis inutilibus, irretire.

——" Causa latet, vis est notissima." OVID.

DE DIAGNOSI.

" Prima basis curandorum morborum, est recta
" eorundem cognitio, et debitum unius ab alio
" discrimen." BAGLIVIUS.

VIX aliquis est morbus, qui cum Intermittente regulari confundi potest. Signa quæ adsunt, et historia morbi, diagnosin plerumque satis accuratam reddant. Nonnunquam autem febris hectica, quæ suppurationibus longis adest, signa intermittentis, aliquando quotidianæ, interdum tertianæ, induit; et rebus sic existentibus, " it is from the history and progress of " these diseases, and not from the symptoms " that occur during a single fit, that we must " seek for an accurate diagnosis *."

* THOMSON's Lectures on Inflammation, p. 323.

Febris Intermittentis accessiones, plerumque sunt subitæ, nullo alio morbo præcedente, et paroxysmo finito æger fere sine incommodo restat. Pulsus per intervallum intermittentium plerumque est naturalis, dum in hectica sæpe debilis, et nonnihil celerior solito sæpe perstat. In illa quoque nausea et vomitus ad initium, in hac, paroxysmo decedente, accedunt. Præterea, rubor circumscriptus in genas hecticorum observatus, sudores tenaces et debilitantes, exacerbationum versus finem erumpentes, duo paroxysmi indies, status urinæ mutabilis, cum plurimis aliis signis, diagnosin inter duos morbos haud difficilem reddunt.

Præterea fere certi sumus*, hecticam pure formato et absorpto, induci, eandemque, nisi rebus sic se habentibus, raro si unquam adoriri; dum causa intermittentium excitans, fonte prorsus diverso derivata, discrimen lucidum præbebit.

Denique, ad diagnosin rite constituendam, medicos oportet diligenter et attente, in formas

* Loco citato, p. 326.

multiplices quas induunt, Febres Intermittentes, incumbere; quoniam symptomata illis simillima in plurimis morbis organicis aliquando sese ostendunt. "I have repeatedly known," utor Doctoris THOMSON * verbis, "the rigors "which accompany strictures in the urethra "mistaken for, and treated as, an intermittent "fever."

DE PROGNOSI.

"Spes incerta futuri." VIRG.

IN regionibus magis temperatis parum periculi ex intermittentibus simplicibus metuendum est, sed cum diu perstiterint, vel senes aut debiles adorti fuerint, eventus magis in occulto latet; quia, morbis aliis gravioribus, originem præbeant. In regionibus calidis, prognosis multo magis est infausta.

D

* Lectures on Inflammation, p. 323.

Quo vehementiores et diuturniores, cum remissionibus imperfectis, paroxysmi sunt, eo infaustior erit eventus. Si morbus, stadio calido, intermissionibus vix percipiendis, incipit, quibus adsunt coma, delirium, apoplexia vel convulsiones, vel si aliqua ex his signis sese ab morbi initio ostendunt; si febris naturam continuæ induere videtur, cum signis typhoideis, defectu vocis, extremitatum rigiditate, et multa anxietate, exitus infelix metuendus est.

Vomitus et dejectio materiæ nigræ, fæcibus liquoris Anglice dicti *Coffee* haud absimilis, distillatio sanguinis e naribus, fœtor urinæ et anhelitus, flavedo cutis, fæces et urina inscite profluentes, et virum prostratio generalis, eventum lethalem fere sine dubio præsagiunt. Abdomen tensum et tumidum ex hydrope vel quibusdam viscerum obstructionibus, periculum etiam ostendit.

Inter signa quæ prognosin faustam indicant, sequentia sunt memoranda. Paroxysmi, temporibus fixis, vel longiore intervallo, cum apyrexia bene notata, accedentes ; pustularum eruptiones circa angulos oris ; epistaxis ; et urinæ sedimentum lateritium deponentis emissio co-

piosa ; demum si omnes functiones animi et corporis ad pristina sanitatis munera rite perfungenda valeant, spe tunc optima de exitu morbi felice frui possumus.

Quartanæ difficiliores s unt sanatu quam vel tertianæ vel quotidianæ, et quoque magis periculosæ ; quotidianæ, quoque, quo breviores intermissiones sunt, et quo plus typi febris continui induunt, eo plus periculi minitantur.

Intermittentes autumnales, imprimis typi quartani, magis metuendæ sunt quam vernales ; observatio experientia omnium gentium probata, et HIPPOCRATE tradita ; cujus verba sunt : "Quartanæ æstive fere breves existunt, autumnales vero longæ, præsertim quæ ad hyemem pertingunt, tunc, enim, sibi relictæ, plerumque ad veris adventum usque perdurant *."

---

* HIPPOC. Aphor, 25.

DE CADAVERIBUS SECTIS.

"It is very much to be regretted, that the knowledge "of morbid structure does not lead, with certainty, to the knowledge of morbid actions, although "the one is the effect of the other; yet surely it "lays the most solid foundation for prosecuting "such inquiries with success."

BAILLIE'S *Morb. Anat.*

IN exemplis, Intermittentium quæ diu persti-terunt et demum morti cederunt, quædam signa morbida memoratu digna, medici observaverunt.

Cavitas cranii aspectus diversos exhibuit. SENAC cerebrum frequentissime prorsus sanum invenit. Contra, MORGAGNI, abscessus intra idem aspexit, et integumenta inflammatione gravi affecta.

Hepar et Lien plurimum aucta et indurata fere semper reperiuntur * ; hoc etiam sæpe præ-

* Hepar sæpe molem incredibilem acquirit, decem vel duodecem libras pondere. Lien quantuplo vel sextuplo

ter naturam est molle ; venæ portæ ad magnitudinem duplicem, cum sanguine turgido sæpe distenduntur, et vesicula fellis nonnunquam bile atra penitus impletur.

Pancreas interdum, quamvis raro, ultra molem solitam auctus, detegitur, alias ulceratus est.

Ventriculus et intestina, imprimis ampliora, inflammatione, ulcere, et sphacelo affecta, et materia biliosa impleta, cum aliis visceribus modo simili vitiatis, sæpe reperiuntur, ut CLEGHORN *, HUNTER †, et alii accurate notaverunt. Ventriculus et intestina etiam sæpe magnopere distensa cum flatu inventa sunt, quod PRINGLE (fortasse inaccurate) cinchonæ intempestive adhibitæ tribuit ; hoc quoque inter vitam, et sine sequelis lethalibus accidere videtur, nam in febre Valachriensi, tumores ingentes abdominis uno cathartico adhibito subito evanuisse, mihi

---

mole solita et dura, tunc vulgo " *Ague cake*" nominatur.—Audi Prælect. GREGORII.

* Diseases of Minorca, p. 180.

† Army Diseases, p. 201.

dictum fuit. Pulmones quoque cum pleura et diaphragmate arcte conjunctæ repertæ fuerunt, Davis * aliisque testantibus.

DE RATIONE MEDENDI.

"Medici vero est, cognita natura et causa morbi judicare quid mutationis requiratur ut morbus in sanitatem mutetur."

Greg. *Med. Theor. Consp.*

Duæ indicationes in febris intermittentis curatione plerumque sunt implendæ. Prima, in talia per paroxysmum remedia adhibendo, constat, qualia huic quam celerrime finem ponat. Secunda, ut, remediis idoneis per intermissionem, usis, paroxysmi recursus impediatur. Indicatio prima rationem medendi idoneam per tria febris stadia complectitur.

1. *De remediis per stadium frigidum usurpandis.*—Hoc stadio adveniente, omnia symptomata quam celerrime sunt levanda. Æger cubare debet, et potus calidi, ut stadium caloris quan-

* Loco citato, p. 197.

tum fieri potest, acceleretur, et diaphoresis promoveatur, exhibendi sunt. Præter hæc, emeticum lene exhiberi debet, quo ventriculus exoneratur, et paroxysmus brevior reddetur. PRINGLE experiit, "if an evacuation of the "bowels was produced by the emetics, the disease was rendered much lighter, and sometimes cured." Pulverem nunc in usu emeticum, ex ipecacuanha trita, uno vel duobus tartritis antimonii granis additis, constantem, adhibuit *.

Opium cum effectibus optimis nuper in usum venit; TROTTER, LIND, aliisque testantibus. Doctor TROTTER † eo multo cum fructu, dum Intermittentes per classem Britannicam sævierunt, usus est. Paroxysmo ineunte, guttas triginta adhibuit, et si minutis quindecim elapsis, nihil caloris ab ægro perceptum fuit, ad viginti guttas plures dosin adauxit, quibus haustis, calor, animi alacritas, et sensationes plurimi grati cito accesserunt. Similia ab LIND fuerunt ob-

* PRINGLE's Army Diseases.

† TROTTER's Medicina Nautica.

servata, Infantium opium externe ad spinam, linimenti saponis additione, frictionis modo, admovit, et paroxysmus, hujus ad initium ejus applicatione, plerumque depulsus fuit; vel, cum hoc nihil valuit, morbum plerumque solutione extracti cinchonæ cum tinctura opii enematis forma, feliciter sustulit: addit quoque, "Since "I have used opium in agues, neither a dropsy "nor a jaundice has seized any of my patients "in these diseases *."

Camphoram ad scrobiculum cordis, summo cum fructu, in copia pulveris drachmæ, ETMULLERIUS et alii admoverunt. DAVIS † eandem inter ægros praxin apud Ipswich felicissime secutus est. Ad ventriculum horum rigore adortorum, admota, stadium frigidum ad finem duxit, et calidum celeriter illexit.

Carbonas Ammoniæ pro diaphoretico ab ETMULLERIO et aliis laudabatur; sed nunc raro, nisi cum opio conjunctus, adhibetur. Varia alia medicamenta, ætatibus variis, fama pro tempore

---

* LIND's Diseases of Hot Climates.

† DAVIS, on Walcheren Fever, p. 64.

fructa sunt, sed de his, utpote obsoletis, non opus est verbis.

Paucis abhinc annis Dominus KELLIE *, Chirurgus Navalis peritus, modum quo stadio frigido finem fere instanter posuit felicissime, in medium protulit. Machinam Anglice *Tourniquet* dictam, brachio dextro, et alterum femori sinistro, adeo ut impediretur sanguinis in his partibus circuitus, admovit, et "in three minutes "thereafter the hot stage was induced," vel, si ante paroxysmum admota, "the cold stage," inquit ille, "will be entirely prevented," vel, si non ex toto prohibitum, "the hot stage is ren-"dered both milder and shorter in duration."

Annon electricitas hoc stadio morbi prodesset? Hæc, quamvis raro in usum venit, nonnunquam effectus optatos edidit.

2. *De remediis per stadium calidum usurpandis.*—In hoc febris stadio, ratio medendi est,

* Vide Observations on the Medical Effects of Compression by the Tourniquet, by GEORGE KELLIE, Surgeon, R. N. in Dr DUNCAN's Med. Comment. for 1797.

paroxysmum, sudore copioso elicito, quam cito tollere. Hoc consilio diluentia calida et diaphoretica sunt sumenda. Ad sudorem promovendum oxidum antimonii cum phosphate calcis, tartris antimonii, vel pulvis ipecacuanhæ, in dosibus partitis ad nauseam ciendam exhibeatur. Opium, ob vires ejus relaxantes, quibus vasorum spasmus tollitur, multum fuit laudatum; alvum usu ejus astrictam catharticum vel antea, vel post opii exhibitionem, multum plerumque prodest.

Calore diu perstante, et cute sicca et arida, immersio corporis in balneum frigidarium multum proderit. Refrigerantia et grata ut utilia sunt.

Cum signa diathesis phlogisticæ adsunt, sanguinis missio idonea est, et hoc morbi stadium esse videtur quo venæsectio commodius perfici potest. Effectus ex sanguinis detractione, faustos, quippe quæ paroxysmorum remissiones et in febribus castrensibus et paludosis festinant, Pringle sæpe observavit.

3. *De ratione in stadio sudoris utenda.*—Medicamentis in hoc morbi stadio raro opus est.

Ubi periculum ex sudore vel nimium copioso vel diuturno metuendum est, huic paulatim obstare oportet. Hoc consilium implere, aliquid acidum refrigerans, nempe, acidum sulphuricum dilutum, vel aromaticum, et acida vegetabilia, satis conveniunt.

Stragula et indusia gradatim amoveantur, et aër in cubiculum dormitorium, quod caute peractum sæpe multum prodest, ingressum haberet. Cavendum est simul ne perspiratio si sit profusa, nimis subito supprimatur, quod haud raro multis malis comitatur.

Diluentia blanda et nutrientia, ut juscula vitulina, bovina, vel gelata, ægri palato convenientia, consilio vires hoc tempore multum exhaustas reficere, multum juvabunt.

4. *De curatione in apyrexiæ tempore.*—Paroxysmo, modis jam traditis, vel sua sponte, finito, ne febris recurrat, idoneis remediis adhibitis, nunc pro virili conandum est.

Remedia singula, quæ temporibus diversis ad hunc morbum debellandum in usu fuerunt, non in animo est mihi recensere: De illis, quæ nuper maxime profuerunt, tantum loquar.

Cinchona est medicamentum princeps, quo per multos annos medici maximo cum fructu in hac febre adhibuerunt. Signa sunt nonnulla, quæ, si adsint, ante remedii exhibitionem, amovere oportet. Inter hæc, vis cordis et arteriarum, citra modum aucta, dolor capitis, et respiratio difficilis, obstructiones viscerum, torpor alvi, et nimium bilis, modis idoneis sunt debellanda.

De tempore quo cinchona adhiberetur, inter omnes non pariter convenit. Alii affirmant hanc ineunte paroxysmo, alteri per totam apyrexiam, sumendam esse. PRINGLE * hanc paucis ante stadii sudoris finem horis, intervalla inter paroxysmos brevissima esse observando, exhibuit. HUNTERO †, HEBERDENO ‡, et aliis, mos penitus similis fuit.

De dosi, inter medicos etiam non constat. Nunc tamen inter plurimos, magnas pulveris

---

* Army Diseases, p. 205.

† Idem, p. 208.

‡ Commentaries, p. 183. etiam CLARK, On Long Voyages, &c.

cinchonæ doses per intervallum exhibere modus est, experientia nunc probante quo plus cinchonæ brevi sumitur, eo certius reditum paroxysmi præcavere. " When bark is exhibited," ait JACOBUS M'GREGOR, Eques *, " an ounce, or " an ounce and a half should be given before " the expected paroxysm, smaller quantities be- " ing given during the interval I have reason to " think, that in many cases where bark had been " reported to have failed, it had not been given " in sufficient quantity."

" Quod si pulverem respuat palatum, vel " stomachus, aqua in qua cortex decoctus est, " vicem pulveris implebit. Pueri etiam qui febre " intermittente implicantur, vix sustinebant hu- " jus medicamenti devorare quod satis est ad " febrem tollendam, his optime conveniet ex- " tractum corticis. Ubi autem vel in puerili, " vel in matura ætate stomachus, hoc ferre re- " medium nullo modo potest, ut temperatum " novis misturis, tum infundere oportet ex in- " ferioribus partibus, decoctum cinchonæ, cui

---

* Loco citato, p. 418.

"licebit adjicere pulveris, aut extracti aliquid, "et paucas insuper guttas tincturæ opii, ut eas "alvus retineat. Cortex, quanquam rite sump-"tus, interdum parum efficax est: quo in casu "suspicio erit, ventriculum sordibus onustum, "vim remedii impedire, itaque vomere cogere "oportet, quo facto febris raro non cedit*."

His observationibus HEBERDENI præclari accuratis, nihil adjicere possum; sed quando diarrhœam inducit, huic obstare usu opii oportet. Contra, alvus astricta laxantibus lenibus solvenda est.

Præter cinchonam quædam amara vegetabilia, in exemplis plurimis, ad intermittentes sanandas, feliciter usurpata fuerunt; hujusmodi sunt radix gentianæ luteæ, calami acori, aristolochiæ serpentariæ, et plurima alia. Cum cinchona effectus multum optandos non edidit, Doctor HEBERDEN † florum anthemidis nobilis pulverem cum summo fructu adhibuit, et calamum aromaticum aliis præstare sæpe observavit.

* HEBERDENI Commentaria.

† Ibid.

Arsenicum ab empyricis per multos annos ad intermittentes sanandas, magna cum fama in usu fuit, sub formula "*Ague drop*" dicta præscriptum. Ob effectus ejus manifestos, medicorum attentionem sibi cito vindicavit, et ab his exhibitum, curationes pariter felices effecit. Liquor arsenicalis Doctoris FOWLER, vels olutio arsenicalis Pharmacopœiæ nostræ, nunc sunt in usu. Guttæ decem vel duodecim adulto adhibeantur, et infanti una vel duæ bis indies. Ad effectus ab eo in systema inductos, sedulo animadvertendum est, quia medicamentum incertum est, et effectos malos in quibusdam casibus gignens, et etiam rebus iisdem existentibus, exitus similes usu ejus non omnibus adsint. Sed, inquit HAYGARTH *, "Even arsenic itself, the most virulent and unmanageable of all the poisons, by the skill and attention of physicians, has been reclaimed from the class of mischievous substances, and, by a diminution of the dose, is held, on good authority, to be a safe and useful remedy."

* HAYGARTH on Fever.

Sulphas zinci, qui nunc sæpe in usu est, attentionem etiam sibi vindicat. In pluribus exemplis, quibus cinchona sine fructu adhibita fuit, curationem induxit. Grana tria vel quatuor, quarta quoque hora, per intermissionem, vel cum extracto cinchonæ forma pilularum, vel in ejusdem decocto soluta, sumantur. In utraque forma, quantitas semi-drachmæ sulphatis, indies adhibeatur, Equite JACOBO M'GREGOR, aliisque testantibus *. In Sicilia Doctor IRVINE † comperiit hanc substantiam, dosibus grani et dimidii per intermissiones exhibitam, multo plus prodesse quam cinchonam; præsertim, cum signa inflammationis, et sensus caloris circa præcordia adfuerunt. "It seemed," inquit ille, "to remove the inflammatory diathesis, and often cured the fever alone."

Oxydum zinci remedium fuit a BLANE multum laudatum; nam Intermittentes, in quibus cinchona spem eluserat, et in Indiis Occidentalibus, et etiam in Nosocomio Sancti Thomæ, fauste ad finem perduxit; "but," inquit ille, "I have

* Army Diseases, p. 418.

† Diseases of Sicily.

"made little use of this remedy since I became
"acquainted with the superior powers of opium
"and arsenic *."

Præparata ferri et cupri, quamvis omnia ob vires tonicas exhibita fuerunt, quia hodie raro in usu sunt, in silentio præteribo.

Hydrargyri usus in casibus obstructionum viscerum ex morbo diu perstante, magis quam in febribus simplicibus, indicatur. HEBERDENO judice, hydrargyrus ope cinchonæ curationem multo perfectiorem reddere magnopere pollet.

Affectus animi tollere, æque ac inducere, Intermittentes videntur. Ex historia discimus Quintum Fabium Maximum, apud Flumen Isaram prælio commisso, febre quartana liberatum fuisse. Amicus meus familiaris, qui Chirurgus copiarum fuit, per bellum nuper in Peninsula gestum, exemplum simile sibi visum mihi narravit. Britannus, Copiarum Lusitanicarum Præfectus, qui intermittente aliquamdiu laboravit,

* Diseases of Walcheren, p. 25.

et qui, nocte ante prælium Vittoriæ, delirio et aliis signis febris violentis captus est, mane prælium inesse certior factus, equum, duobus militibus adjutus, ascendit; et haud multo post, satis virium acquisivit, ut legionem ejus animo et virtute magno duceret, et quamvis fatigationi multæ, et cœli intempestati fugam hostium sequendo expositus, nihil intermittentis experiit, donec in contubernias stativas exercitus rediit. Alia exempla eandem rem probantia, in scriptis tam medicis quam historicis, invenimus.

DE PROPHYLAXI.

"Non est vivere sed valere vita." MART.

NUNC restat ut pauca de ratione qua hujus morbi recursus impediatur proferrem, quia hac neglecta, medicamenta parum valebunt.

Ex natura causæ harum febrium excitantis, et ob effectus ejus intra fines arctos cohibitos, quos jam memoravi, ægrum ex talibus locis vel

prorsus summovere oportet, vel si hoc fieri nequit, ad partes ejusdem regionis salubriores se movere æger juberetur. Hinc situs altus quærendus est. Areâ infimâ minime cubandum est: E contra, si fieri potest, quam altissima, foribus et fenestris versus paludes clausis. Vestes quoque laneæ sunt induendæ, et diætam lautam cum pauxillo vini, ægro concedere oportet. Exercitatio secundum vires ægri quoque præcipienda est. Navigatio in exemplis plurimis curationem perfecit. Ægro ne exeat foras mane jejunus quoque cavendum est, quia corpus hoc tempore viribus miasmatum magis est subjectum. Opificibus et aliis quibus juxta paludes ad negotia occcupari opus est, infusum allii, cinchonæ, vel rhei palmati in vino vel alcohole, ut monet Dr Lind, adhibendum est:

"..................................A frame so steel'd
"Dreads not the cough, nor those ungenial blasts
"That breathe the Tertian or fell Rheumatism."

....

"In quest of sites, avoid the mournful plain,
"Where osiers thrive, and trees that love the lake;
"Where many lazy muddy rivers flow;
"Nor for the wealth that all the Indies roll,
"Fix near the marshy margin of the main.
"For from the humid soil, and watery reign,
"Eternal vapours rise; the spungy air
"For ever weeps; or, turgid with the weight
"Of waters, pours a sounding deluge down.
"Skies such as these let every mortal shun,
"Who dreads the Dropsy, Palsy, or the Gout,
"Tertian, Corrosive Scurvy or moist Catarrh."

ARMSTRONG.

Denique his paludibus, profectu agriculturæ nupero, exsiccatis vel purgatis, Intermittentes hodie inter nos rariores esse, tribuendum est. Nec minus patet quanta utilitas sylvarum quæ prope paludes sunt excisio, sedes nostras in Insulis Indiæ Occidentalis et in America e rata parte salubriores nuper reddere *.

* WILLAN's Diseases of London, p. 203.: ASSALINI on the Plague, &c. of Egypt, p. 73.: BLANE, on Walcheren Fever, p. 29.

Sic tandem, opere peracto, huic tentamini finem lubens impono. " Quæ præsenti opuscu-
" lo desunt, suppleat ætas, non enim differen-
" dum est tyrocinium in senectutem, nam quo-
" tidie crescit metus, majusque fit semper, quod
" ausuri sumus, et dum deliberamus quando in-
" cipiendum, incipere jam serum fit, quare fruc-
" tum studiorum viridem, et adhuc dulcem
" promi decet, dum et venia et spes est, et pa-
" ratus favor, et audere non dedecet *."

Cum summa denique animi grati sinceritate omnibus Professoribus gratias ago, Almæque Academiæ nunc demum valedico.

FINIS.

* Quintilian.